





2776

DISPUTATIO PHYSICA,  
*De*  
**SENSIBUS**  
IN GENERE CON-  
SIDERATIS,

*Quam*

Inclytæ Facultatis Philo-  
phicæ permisso, in celeberrima  
Lipsensi Academia,

*Ad diem II. Decemb.*

*Publicè ventilandam*  
proponit

M. FRIDERICUS VVENCESLAI  
Medevicensis, SS. Theol. Stud & Alum. Elect.

*RESPONDENTE*

BARTHOLOMÆO Elstenn/ VVeif-  
senfensi, Phil. & SS. Theol. Stud.

*LIPSIÆ, imprimebat GREGOR. Rißsch/*

---

ANNO M. DC. XXX.





Serenissimi Electoris Saxonici Consiliariis gravissimis,

VIRIS

Admodum Reverendâ Magnificentâ, maxime strenuâ Nobilitate, Amplissimâ Autoritate, Consiliis, usq; rerum eminentissimis,

Dn. CANCELLARIO,

cœterisq; Dicasterij Martisburgici Dominis Assessoribus spectatissimis,

Patronis suis omni observantia cultu prosequendis,

Hanc Disputationem in sui suorumq; Studiorum ulteriorem commendationem

Offert

PRÆSES.





## In nomine JESV.

1.

**S**Entire, & nescire, quid sit sensus, sicut maximum dedecus est, ita sentire, & quid sensus sit scire, decus est insigne hominis. Quod nos etiam movit, ut de sensibus in genere tractare susciperemus.

2. Vocabuli igitur sensus Etymologiam quod attinet, dicitur à verbo *sentire*, quod nemini non constat; ratione autem usurpatur in primis duobus modis: 1. notat primam animalis affectionem, quā aliquid percipimus. 2. non raro pro *sententia* usurpatum legimus, ut apud Cic. *Nostris sensus, ut in pace semper, sic in bello etiam congruebant. pro Marc. p. 133. b.*

3. Nostro verò instituto prior significatio convenit: ubi iterum notandum, quòd apud Aristotelem, reliquosque Physicos duplēm habeat significationem, & interdum notet duām, quæ producit actum sentiendi, quā quidem facultate prædicti sunt etiam ij, quibus actus vel dengatus est; vel impeditus: interdum verò sumatur pro cœpicio, seu ipso actu, quando dormiens sine sensu esse dicitur.

4. Quando operationem notat, appellatur etiam *Sensatio*, & definitur, quòd sit *Actio anima sentientis*, quā animal objecta sensilia per accommodata corporis organa percipit. A quā non multum ab ludit Definitio Aristotelis: *αἴδησις νοοῖται καὶ τὸ σώμα τὸ ψυχῆς ἐστι, lib. de Som. & Vigil. c. 1.*

5. Vt eō melius Definitionis sensus & veritas pateat, *sensationis requisita* sunt notanda, quorum numero sunt 4. & partim in ipso sentiente, ut priora duo, partim extra ipsum, ut duo posteriora reperiuntur. 1. *Anima sentientis.*

1 2

2. Or-



2. Organum, 3. Objectum, 4. Medium. Quæ singula ordine considerabimus.

6. I. Igitur ac præcipuum sensationis requisitum est animæ sentiens, quæ suâ facultate & vi sensile percipit, & dñm. per actum suum, actu tale reddit: hinc cernimus, quòd corpus mortuum amplius non sentiat.

7. Actus quidem sentiendi toti composito ex anima & corpore constanti, puta, animali tribuitur: nos tamen, quando hoc animæ sentienti ascribimus, causam efficientem primariam indigitamus; deprehendimus enim, quòd corpus ratione animæ sentiat. Quare dicimus, animam sentire ut quo, animal verò ut quod.

8. Diffusa etiam est animæ essentia per totum corpus, & ad omnes partes animalis extensa; eadem enim, quæ est in oculo & aure, est etiam in manibus & pedibus: quòd autem non ubiq; visus & auditus autor sit, ratio est, quia non ubiq; illius sensus organon reperit.

9. II. Itaq; requisitum est Organum, quod alias etiam sensuorium dici solet, & necessariò ad sensationem requiritur, quia nullus sensus quicquam percipit, nisi per instrumentum corporeum. Nihil autem est aliud, quam illa pars corporis, quā objecta sensibilia per speciem allata percipiuntur, ut ita sensatio fieri possit ab anima sentiente.

10. Statuitur duplex, Commune & Speciale: Commune est, à quo omnium sensuum origo proximè derivatur, ut *Cerebrum*; vel quod omnibus sensibus inservit, & quasi præcipuus minister est animæ sentientis, ut *Spiritus*: nam iij recipiunt impressas species, & quia sunt tenues, propitijsq; accedunt ad naturam animæ, ut penè pro immaterialibus habeantur, ministerio *nervorum* utuntur: his enim tanquam canalibus singulis sensibus spiritus animales suppeditantur.

II. Spe-



11. Speciale sensorium est, quod propriè & specialiter certo alicui sensui inservit: Sic oculus est speciale instrumentum visus, auris auditus, nares olfactus, lingua gustus, membrana & nervus tactus.

12. Circa organa notetur (1.) quòd recipient *formas rerum* sine materia, quod sigilli similitudine ostenditur: cera enim figuram vel imaginem aurei sigilli recipit, non ipsam sigilli materiam, in qua imago est sculpta, *Arist. lib. 2 de an. c. 12. t. 121.*

13. Notetur (2.) quòd cuiusvis sensus sensorium peculiari *temperamento*, ac dispositione præditum esse debeat, quo species Objecti proprij in sensorio recipi & formari possint. Oculus e. g. sit peculiariter dispositione ac temperamento instructus, ut possit in se recipere speciem lucis ac coloris.

14. Notetur (3.) quòd sensorium à *sensili nimis vehementi* facilè lædi possit: propter nimiam enim vehementiam immutat temperamentum organi: Sic lux *nimis splendida* ac fulgida, nimio fulgore lædit spiritus visivos, ac *vixum dissipat*: Immoderatus sonus nimiā vehementiā conformatiōnem auris lædit, vnde nimius stridor auribus valde est molestus & noxious: id quod *Arist. l. 2. de an. c. 12. t. 123.* similitudine à fidibus desumpta, probat: si enim chordæ vocesq; validius intendantur, quām intentionis & concentus ratio postulat, protinus modulatio dissonare incipit, & harmonia confunditur.

15. Nec est ut nobis aliquis objiciat; *Plantas quoq; & inanimata similia* nonnunquam pati ab his sensilibus: Ergo concedendum, ipsa quoq; sentire. Resp. passio hæc toto genere differt à sensatione: Sensatio est immaterialis; passiones rerum inanimatarum materialia sunt, e. g. cùm tonitru sternuntur rumpuntur vè arbores, velturres, non



tam sonus, quam aer commotus vim affert arboribus: sic non tam color quam pigmentum, seu materia colorata parietem inficit.

16. Notetur (4.) quod sensorium debeat esse *vacuum ab objecto*, quod est recipiendum: intus enim apparet prohibet alienum. Si e. g. aures debent percipere sonum, ipsas sono vacare necesse est; iccirco non bene audiunt illi, qui aurium tinnitus laborant, nec recte vident illi, quorum oculi tintinni sunt colore flavo: sic non benegustant illi, quibus lingua imbuta est aliquo sapore.

17. III. Requisitum est *Objectum* seu *sensile*, quod semper positum est extra sensum, nimirum res illa, quae sensu apprehendi debet, seu potius qualitates sensiles. Objecta sensuum dicuntur quidem esse *singularia*, & *Substantiae corporeæ*; *Substantiae* tamen non sentiuntur, quatenus sunt tales, sed quatenus qualitatibus sensibilibus sunt præditæ. Johannes enim videtur, quatenus coloratus, tangitur, quatenus est calidus, frigidus &c.

18. Est autem hoc *objectum* sive *sensile* vel *per se*, vel *per accidens*, teste Arist. lib. 2. de an. c. 6. t. 62. *Sensile per se* est, quod in se causam, cur sentiatur, includit, & non interveniente alio sensum afficit: Sic color visu, sonus auditu *per se* percipiuntur.

19. Et hoc iterum vel est *commune*, vel *proprium*: *Commune* est, quod pluribus sensibus apprehenditur, quorum Aristoteles lib. 2. de an. c. 6. t. 64. quinq[ue] recenset, quae quasi sunt generalia capita, ad quae omnia reliqua, quae ab aliis autoribus recensentur, possunt referri; & sunt: *motus*, *quies*, *numerus*, *figura*, *magnitudo*. E. g. Si rota currus movetur, hoc non tantum videmus, & audiimus, sed etiam oculis clausis, auribusq[ue] obstructis  
ex ta-



ex tactu cognoscimus, quod moveatur.

20. Quâ ratione sensibilia communia sensus affiant, non immeritò disquiritur; diversæ enim circumferuntur autorum de hac re opinione, quidam statuunt, sensibilia communia propriam sui similitudinem, diversam à proprietatum sensibilium specie, in sensibus producere; nobis verò arridet sententia illorum, qui statuunt, sensibilia communia nullas peculiares species sensibus objicere, verum determinare & modificare species priorum sensibilium.

21. Nec tamen inde statim licet inferre: Sensibile commune nihil in sensum imprimit: Ergo est sensile per accidens. Non sequitur, quia sensibilia communia sunt *media* inter sensibilia per se, & inter sensibilia per accidens. Licet enim propriam ac peculiarem speciem sensui non imprimant, speciem tamen sensibilis proprij attemperant, peculiaremq; modum speciebus priorum sensibilium determinant id quod sensibilia per accidens non præstant, e. g. coloratum sui imaginem immittit, sed aliter eam efformat, si præditum sit magnitudine quadratâ, aliter si triangulari, aliter si oblongâ, aliter si rotundâ, &c.

22. Proprium sensile est, quod uno duxit taxat sensu percipitur, illo nimirū, ad quem ordinatum est, quodq; omnibus circa sensum rectè se habentibus nunquam fallit illum. e. g. color percipitur visu, sonus auditu, odor odoratu, sapor gustu, qualitates tactiles tactu.

23. Hæc sensibilia cum suis sensibus quando *actum* notant, simul sunt, sedq; reciprocâ necessitudine ponunt & tollunt, quia una utriusq; est operatio: quando verò secundum potestatem considerantur, non est necesse, ut simul sint: nullo enim existente visu color esse potest, ut docet Arist. lib. 3. de an. c. 2. l. 141.

24. Sen-



24. Sensus à suis objectis afficiuntur, dum *qualitates* quædam ab illis emittuntur. Non autem *materiales*, sed *intentionales* qualitates hīc volumus intellectas, quæ sunt simulacra & imagines objectorum sensibilium, ab his emanantes, puriores, & à materia concretione liberæ; vocantur communiter *Species sensibiles*. Sic qui videt equum, non ipsum equi corpus in oculos potest recipere, sed ejus effigiem & speciem. Tales intentionales qualitates etiam conspicuntur in linteo, juxta vitrum vino rubro plenum posito, quod rubro colore tingitur.

25. *Conditiones* hujus sensilis sunt sequentes: (1.) inter ipsum & sensorium iusta sit distantia. Si enim nimis est remotum, aut planè non apparet, aut minus apparet, quām revera est. Ita res alba propter nimiam à visu distantiam interdum non albo, sed alio apparet colore. Si nulla planè distantia inter sensile & sensorium datur, sensatio quoque impeditur. Quod communiter sic solet efferri: *Sensile positum supra sensorium non facit sensationem*. Arist. 2. de an. c. 7. t. 75. e. g. Si oculis planè imponas librum, nihil poteris videre aut legere in libro.

26. (2.) *Sensile justam habeat magnitudinem*, nimis enim minutum satis rectè sentiri non potest; sic vigesima pars milij vix videtur.

27. (3.) Requiritur *justus situs*, ut nempe sensile collocetur in rectâ linea ante oculos, quæ enim vel supra, vel infra, vel post oculos, vel à latere ipsorum ponuntur, non ita commodè visu apprehenduntur.

28. (4.) *Justo tempore & morâ versetur ante sensorium*. Quæ enim subito in sensus incurront, & quasi momento prætervolant, nihil admodum afficiunt ipsos: Sic qui manum citissimè per flammam ducit, ignis caliditatem non percipit.

29. *Sen-*



29. *Sensile per accidens* est, quod alio objecto interveniente percipitur, & ita per aliud sentitur. e. g. Substantia per se in nullum sensum incurrit, sed tantum ratione accidentium, quæ sustinet, percipitur. Sic sensile per accidens est, quando mel videns dicit, se rem dulcem videre.

30. Hoc sensile nihil agit in sensum exteriorem, à quo per accidens percipi dicitur, sed tantum est coniunctum cum eo, quod per se afficit; ab aliquā etiam peculiari in sentiente facultate per se cognosci potest, sive externo, sive interno sensu, sive intellectu.

31. IV. *Requisitum est medium conveniens*, & naturaliter se habens, nec alienā qualitate aut dispositione commutatum, quo mediante species sensilis perfertur ad sensum, & interiicitur inter organum sentiendi, & inter objectum sensile. Hoc necessarium esse, expressis verbis docet Arist. 2. de an. c. II. t. 114.

32. Licet hoc medium in primis ad visum, auditum & olfactum necessarium esse videatur, quale est *aer & aqua*, tamen reliquis sensibus etiam non est denegandum. *Gustus* quidem medium est vel *externum*, ut *saliva*, per quam sapor defertur ad instrumenta gustandi, & est quasi vehiculum saporum; vel magis *internum*, ut *cuticula linguae*, & pori in musculosa carne, per quos qualitas gustatilis in gustandi instrumentum influit.

33. Medium *tactus* quod attinet, videtur planè nullum esse, quia cum instrumento concurrevit. Sed respectu carnis medium statuitur *cutis*; respectu nervorum *caro*. Et hac re tactus etiam differt à ceteris sensibus, quod nimis in his sensile rectius sentiatur cominus positum, in illo vero quod proprius adjungitur parti corporis, habenti rationem medij interni, eò percipiatur exactius.



34. Et hoc medium à sensibus prius afficitur, quām sensorium. Nam sensationes istae sunt motus locales, aut saltem cum motu locali conjunctæ; in motu autem locali mobile prius pervenit ad medium, quām ad extremum.

35. Sed hīc visibile videtur esse excipiendum, nimirū lumen & colores, quæ propter summatam spiritualitatem suam, uno eodemq; momento simul & oculo ingruunt & medio, nec in spatio intermedio tām esse, quām fuisse dicuntur.

36. Quando itaq; hæc omnia, uti sunt enarrata, concurrunt, & rectè sunt disposita, animus etiam rebus percipiendis intentus est, non potest non fieri sensatio.

37. Quantum autem fidei sensibus habendum sit; an ipsorum immota sit certitudo, an verò interdum error in ipsis accidat, non immeritè queritur? Putamus distinctè esse respondendum; quod sensus circa proprium objectum nunquam erret, ut videlicet visus pro colore sonum, vel auditus pro sono colorem percipiat. Quod verò interdum sensus circa communia sensilia decipientur, nosq; id, quod movetur, quiescerere putemus; quod etiam circa particularem & specialem proprij objecti rationem error contingat, ita ut cœruleum pro nigro habeamus: vel quod in applicatione sensus ad objectum aberremus, quando solem rubrum putamus, quia per nubem rubram illam aspicimus, experientia non rarò attestatur.

38. Consideratis generalibus sensuum requisitis, restat ut in numerum ipsorum inquiramus. Dari autem sensus duplices, internos nimirū & externos, nemini non constat. Interni intra cranium consistentes, & operationem sentiendi exequentes, sunt, qui res sensibles non



non solum præsentes, sed etiam absentes percipiunt, &  
djudicant: communiter tres numerantur: *Sensus com-*  
*muni*, *Phantasia*, & *memoria*.

39. Externos verò sic dictos, quod in exteriore cor-  
poris parte res externas præsentes percipient, nos cum  
Aristotele quinq; numeramus, *Visum*, *Auditum*, *Olfactum*,  
*Gustum* & *Tactum* lib. 3. de an. c. 1.

40. Et ut numero huic quinario subscribamus, mo-  
vent nos rationes: 1. Quia tot sensus in perfectis ani-  
malibus numerantur. 2. tot sunt genera & ordines  
rerum sensibilium, ad quos redeunt cætera omnia. 3.  
tot mediorum differentiæ ex suâ ad quemlibet sensum  
habitudine existunt. 4. tot etiam sensoria tempera-  
mentis & naturis discrepantia in animali notantur.

41. Quonam ordine recensentur, parum refert:  
nos dicimus, quosdam pertinere πρὸς τὸ ζῷον animalis,  
puta tactum & gustum: quosdam verò magis facere πρὸς  
τὸ ζῷον, ut tres reliqui.

42. Quia autem nihil in naturâ temerè accidit, sed  
omnia ad aliquem finem tendunt, docente Arist. lib. 3.  
de an. c. 12. t. 60. neq; sensus frustrâ animali dati erunt.  
Finis ergo illorum est consecutio alimenti vîtae conser-  
vandæ necessarij, ad quem finem ad minus factus & gu-  
stus requiruntur, unde *sensus necessitatis* appellantur.  
Quod etiam animalia escam eminùs venari, & dum pa-  
bulatum exeunt, à periculis & damnis sibi cavere que-  
ant, additi sunt reliqui tres sensus, *Visus*, *Auditus*, *Olfac-*  
*tus*. 1. de sen. & sens. c. 1.

43. Sed hic finis sensuum in animali perfectiori, ho-  
mine perfectior est, quâm in brûtis. Hominibus da-  
tus est sensus, non tantum ad nutrimenta investiganda;  
sed etiam 1. ut persensum excitetur ad intelligendum:



nibil enim est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu.  
2. ut adminiculo sensuum colligat varias rerum experientias, & observationes, tūm contemplationi, tūm actioni inservituras. *Ibid.*

44. Atq; hæc sunt, quæ de sensibus in genere hoc tempore pro captu nostri ingenij in medium afferre voluimus. Quare hic D<sup>o</sup> Trinuni pro concessâ Spiritus sancti assistentiâ gratias agentes, receperimus canimus.

---

*AD*  
**Præstantissimum & Literatissimum Dn.**  
**Præsidem, Amicum suum (sine**  
**figura) unicum.**

**D**um placidam de Sensibus instituis Argiclw,  
In te funguntur munere quiq; suo.  
Lecta etenim Visus cerebello firmiter offert,  
Auditus praefat quid tibi, tela probant.  
Quæ capis olfactu, gustu, tactuq; gubernas,  
Mens tua jussu horum, nil nisi sensa profert.  
Aude plus ultræ. Sic te bona sensa sequentur,  
Qualia puncta roΦāv promeruere tibi.

Subiecbat  
**M. Christophorus Göbel**  
Alumn. Elect.

F I N I S.





werp. auf das S. abgestellt. Ich habe davon Kündigung und alle Rechte und  
eine T. Gewerbeaufsicht gewünscht. Wenn weiteren Recht allzoo sind wünsche das ihm  
gewähren, da er nicht mehr zu Hause und darüber hinaus ist. Und wenn Kapital  
nicht Kapital genügt. Da sich hier sehr viele vermöchte Geer befindet, die keine  
neue Gründung fördern wollen. Ich habe Notizen gemacht mit welche jetzt in zweiter und  
dritter Hand überlassen werden. Ich habe von dem Gedanken Gebrauch gemacht und schreibe  
meinen erhaltenen Geberlein. Ich den Gedanken mir vorweggenommen und will mich darin  
und daran erinnert sein. So wie am Ende mit dem Wunder. Erinnerungen und Empfehlungen verbleiben  
und die Sorge und Furcht treiben. Das kann sehr und schwer zu bestimmen sein und sicher  
Durchsetzen. Ich habe die Erfahrung und Anerkennung der Firma von ganz oben gehabt.  
Denen im S. Hauptmannschaft sofern kann, kann man empfehlen in der Stadt Augsburg zu einer  
der Fabriken einzufinden. Ich habe es mir vorgenommen.

2776

DISPUTATIO PHYSICA,  
*De*  
**SENSIBUS**  
IN GENERE CON-  
SIDERATIS,

*Quam*  
Inclytæ Facultatis Philo-  
sophicæ permisso, in celebri-

